I. *Hiſtoria portionis Inteſtini Coli propendentis ex Vulnere per* 14 *annos. Communicante Abrahamo Vater, Phil. & Med. Doct. Prof. Public. Ord. Anat. & Botan. Subſtituto Wittembergæ, Natur. Curioſ. Coll.*

VIR quidam *Georgius Deppe* Halberſtadienſis annorum xxxiv. caſtra ſecutus, anno MDCCVI. in prælio prope *Ramellies* in Belgio commiſſo, ab inflicto in ſiniſtro hypochondrio vulnere, per hos xiv annos magnam portionem inteſtini coli, ictu hoc ſecti atque inverſi, ſpithamæ magnitudine e corpore prominens gerit.

Inteſtinum hoc, per vulnus in illud ſimul penetrans, egreſſum, interiorem ſuperficiem ad exteriora vertit, & ita in medio cohærens duas portiones efformat, quarum altera verſus ſuperiora extenſa orificium monſtrat, quod ad inteſtina tenuia ſpectat, & fæces alvinas educit; altera vero portio ad inferiora propendens orificium ad rectum apertum habet, ut Clyſterem injectum per anum reddat. In interiori ſuperficie, nunc ad extra vergente, glandulæ apparent copioſiſſimæ, albi ac cinerei coloris, verrucarum inſtar eminentes, & jucundiſſimum ſpectaculum exhibentes, quæ inclementius tactæ ſanguinem fundunt. Inteſtinum ita prominens nunquam totum regreditur intra abdomen, ventriculo tamen vacuo quodammodo regreditur, ſed ventriculo pleno cibo aſſumpto longius protruditur, imprimis ſpiritu retento. Utitur vir ille aqua gelidiſſima, imo glacie ac nive hyeme permiſta, ad abſtergendas ſordes, ſine ullo incommodi

commodi ſenſu; fert etiam inteſtinum aerem frigidiſſimum; ab eodem tamen intra ſe retrahitur & indureſcit, ac quodammodo palleſcit. Cibos omnis generis perferre poteſt vir iſte; fructus tamen recentes & olera cibis reliquis non miſcentur, ſed indigeſta exeunt, quemadmodum & juſcula ſine ſolidis cibis aſſumpta. Hæc ſunt quæ ex relatione ipſius conſignavi.

Wittembergæ, *Abr. Vater.*
Oct. 1. 1720.

Explicatio Figuræ.

A. B. C. D. Inteſtinum colon inverſum, ex vulnere prominens, & verſus ſuperiora & inferiora porrectum.

a. Orificium ſuperius ad inteſtina tenuia patens, per quod exeunt fæces alvinæ.

b. Orificium inferius, quod ducit ad rectum, & Clyſterem per idem infuſum per anum reddidit.

c. d. Veſtigia vulneris à Chirurgo ampliati; per cujus medium adhuc apertum inteſtinum prominet.

e. Umbilicus.

f. f. f. Glandulæ copioſiſſimæ.

g. Regio Inguinalis.

h. h. Dorſum.

i. Coxendix.

K. Regio Lumbaris.


Philoſoph. Tranſact N°. 366.
a
A
f
c
B
d
D
K
h
h
e
g
C
b
i
J. Sturt ſculp.